

1597 cohortari, invitare: iis, qui pro felici istius expeditionis even-
tu Deum Optimum Maximum oraverint, expiatis animi
sordibus, caelesti pane refecti fuerint, plenam (ut ajunt) in-
dulgentiam impertiri; pollicita, contractus, fœdera, jusjurandum,
si quis Princeps iis se Cæsari obstrinxisset, abrogare,
infringere; Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes, qui
ei favissent, per eorum ditiones transitum copiis permisissent,
anathemati subjicere. Multa præterea, ut tremendo fulmen
tumultu rueret, summa cura ac studio elaborata adjicit. Clemens pontificio habitu indutus, una cum Purpuratis divi
Petri aulam ascendit, a divi Cæsarei Cardinali diploma per-
legi & vulgari jubet; perlecto, accensum ingentem cereum
in subjectam plateam projicit; Cardinales pariter minores ar-
dentes candelas de more jaciunt. Extemplo magnus tympano-
rum ac tubarum clangor subsequitur; arcis tormenta, vel-
uti belli præludia, disploduntur; diploma in quatuor præ-
cipuis urbis locis, divi Petri, divique Joannis Laterani basi-
licis, in publico tabulario, & Campo Floræ affigitur; Bononiæ & Cerviæ promulgari jubet.

Estensis, qui nunquam Ferraria cessurum constanter affir-
maverat, licet urbis situ, imis ac palustribus locis, horrida
hyeme, auxiliorum spe suffultus, quæ novem peditum ex
ordinibus millium, mille ac quadringentorum equitum, per-
egrino quatuor millium equitatu subnixus; promulgati in se
anathematis nuntio percussus, aliquantis per pristinum vigorem
animi remittere visus est. Non ita se paratum esse, ut in-
gruentem impetum exciperet, affirmare; non sibi ingentes
illos thesauros, quos diuturna pace collegisse Alphonsus fe-
rebat, adesse: itaque pecuniam flagitare: se tandem, ni
aliter possit, in Hispanorum voluntate futurum.

M. D. LXXXVIII.

1598 **A**T Clemens emissum diploma in omnes christiani orbis par-
tes perferri, in Italia præsertim, Venetisque ditionibus
promulgari curat; ejus exemplar Laurentio Priolo, Cardina-
li, Venetiarum Patriarchæ, aliisque urbium Episcopis mit-
tit. Priolus, vir in Republica legationibusque apud Europæ
Prin-